

gionem adhuc amplectantur, adeoque illis, qui adspirant ad officium Ecclesiasticum in Lutheranâ Ecclesiâ, expectanda sit vocatio à Patrono Pontificio, quod scrupulum in conscientia movere potest, an vocatio sit legitima, cum à Pontificio sit profecta?

§. 2. Tali in casu ad tria respiciendum est (a) ad Patronum, quomodo in vocatione se gerat, an in terminis Patroni se contineat, an verò in doctrinâ aut ceremoniis in Ecclesiâ aliquid mutari velit? (b) ad vocandum, an orthodoxam religionem amplectatur? (c) ad Ecclesiam, penes quam per se est jus vocandi.

§. 3. His præmissis, dicitur (1) si Patronus in terminis Patroni se contineat, ut scil. orthodoxam personam nominet, Ecclesiæ sistat, e jusque consensu vocet, nec quicquam in doctrina aut ceremoniis immutari velit, legitima est vocatio, nec obstat diversa in Patrono religio: neque enim suo nomine & autoritate, aut ad heterodoxam doctrinam, quam ipse profitetur, vocat ministrum, sed nomine & autoritate Ecclesiæ, & ad prædicandam veram atque sinceram doctrinam, nec non Sacramenta juxta institutionem Christi administranda, aliaque in Ecclesiis Protestantium usitata & recepta peragenda.

§. 4. Probari solet hæc assertio 1. quod sacerdotes in populo Judaico sub initium N. T. vocati sint autoritate sive Herodis sive Imper. Romani, nec tamen de vocatione eorum fuit dubitatum, adeo ut etiam Christus cum Josepho & Maria eorum officio usus sit. 2. Sub Papatu ministri Ecclesiæ vocati fuerunt, ubi Patroni Papali Religioni fuerunt addicti, postquam verò iidem ministri cum Ecclesiis veritatem cœlestem, & sinceram doctrinam agnoverunt, non de novo vocati fuerunt. Ergò vocatio à Patrono Pontificio facta, pro ratâ habita fuit.

§. 5. Dic. (2) Si Patronus terminos Patroni transfiliat, & velit aliquid in doctrinâ vel ceremoniis mutari, ut tamen Ecclesia, utpote Lutherana non consentiat, facile patet, vocationem non esse legitimam: Legitima enim vocatio à totâ Ecclesiâ ad prædicandam doctrinam, quam ipsa amplectitur, provenire debet.

CASVS VIII.

AN alicui invito ministerium Ecclesiasticum deferendum sit?

Resp. Inprimis is, cui defertur ministerium, vires suas, & requisita ad ministerium Ecclesiasticum necessaria explorare debet: Si deprehen-